



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Carolus Masius Ep. Gandauens. n. 64

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

Cant. 4.4. licet de Ecclesia dicta sint, Societati hodie accommodamus, quæ Turris est David armis ad Ecclesiæ Euangelijque defensionem referta, impios Hæreticos scientia, ac doctrina laceffendo. Ex hac Turri prodire armati duces, ac strenui fidei defensores; hinc celebres Salmerones, eruditi Bellarmini, docti Maldonati, ac insignes Toleti, & alij complures, quos referre operosum est. Hoc eius de Societate iudicium fideliter latine redditum.

Eius Institutum, munia, vitam, moresque laudantur.

61. A GISBERTO MASIO Episcopo Silueducensi, cui summa eloquentia Ciceronis Belgici cognomentum peperit: is quoties colloquijs priuatis, quoties publicis pro concione sermonibus, nostrum Institutum, munia, vitam, moresque ad ruborem Patrum, ad emulorum dolorem, deprædicauit? Quo die Ignatij in Beatorum album relati solemnia Societas celebrabat, ipse peracto splendido Sacrificio in Cathedram ascendens, ad pulcherrimam audientium coronam pro sua facundia ad eò magnificè de B Patris, deque Sociorum laudibus verba fecit, ut impatiens tanti præconis inuidia nonnullos in ipsummet concitarit Antistitem, ausos de superiori loco carpere, quæ ille dixerat, argumentisque refellere: quibus mox facti penitentibus haud grauatè vir mitissimus condonauit iniuriam. Sic in Imag. 1. sec. Soc. fol. 884.

Quanti habita à Remigio Episcopo?

62. A REMIGIO DRUITIO Brugensium Episcopo, qui Societatem quanti faceret, non obscure prodidit, cum in summis Republica angustijs, negante Magistratu, parem se alendo Societatis Collegio, respondit, Se potius, quam Collegium Vrbe cessurum. Ita Ibidem.

Cognita in morte à Lamberto.

63. A MATHIA LAMBERTO, qui medius inter Rodouanium, Druitiumque insulas gessit, morti iam proximus, quando sublucente alterius vitæ radio clarius apparet rerum color, Sacerdotem nostrum ad sese euocauit, cui omnes antea vitæ noxas aperuit, perpetuamque Societati, quam adhuc male cognitam habuisse, fatebatur, eleemosinam donauit. Ibidem.

Et à Carolo Masio.

64. A CAROLO MASIO Gandauenfi Episcopo, cui eadem ac Lamberti sub extrema vitæ tempora vox fuit, quæ dolentis animi sensura



*sensum exprimebat*, de tam sero cognita, amataque Societate. Idem & voto multis audientibus semet obstrinxit, Si ex morbo conualesceret, dotandæ in ea Vrbe Societatis. *Ibid.*

65. A FERD. MARTINEZ MASCAREÑAS Episcopo Al-garuiensi, qui singulari illo suo erga nos affectu, & existimatione, Societatem appellabat Parentem Optimam, è cuius sanctissimo Instituto tanquam ex Equo Troyano plures iam religione, literis, ac morum probitate Principes viri prodierunt. Ita ille in *Censura Tom. P. Suarij de Defensione fidei.*

Parent  
Optima: è  
cuius Insti-  
tuto velut  
ex Equo  
Troyano,  
religione, ac  
literis prin-  
cipes viri  
prodierunt.

66. A PETRO ALOYSIO Episcopo Tricaricensi etiam Apo-  
stolico Nuncio literis ad P. Drexelum datis 19. Aprilis ann. 1630.  
Vetus (inquit inter alia) mihi cum Societatis IESV hominibus  
consuetudo est, quam à puero cum literis, & moribus primis  
hausi, ac semper colui, &c. Ita Tom. 1. Operum P. Drexelij in  
principio. Idem Antistes literis alteris ad eundem: Glorior (in-  
quit) me à pueris educatum fuisse disciplina Patrum Societa-  
tis, vel ex eo capite, quod is Ordo viris eximijs abundet in  
omni eruditionis laude, inter quos, &c. *Ibidem initio Eiusdem*  
Tom. 1.

Societas  
estimata.  
Et viris in  
omni eru-  
ditione  
eximijs  
abundans.

67. \* A IOANN. EMANVELE Episcopo Zamorensi, sic  
Societatis, & sociorum innocentiam in Concilio Prouinciali Salman-  
tino, propugnante. Ego (inquit) iurabo Reuerendissimi Patres  
non assistere spiritum sanctum in hoc Concilio, siquidem in  
illo intentatur tractari res adeo graues, & molestas aduersus  
tam sanctam Religionem, & quæ tantum fecit fructum suo  
Instituto, & exemplo in Ecclesia Dei. Ita Tom. 4. Vir. Illust.  
Soc. in vit. P. Araoz cap. 1. §. 6. fol. 641.

Propugnata  
eius inno-  
centia in  
Concilio  
Salmanti-  
no.

Fructus in  
Ecclesia ex  
eius Insti-  
tuto &  
exemplo.

68. A FRAN. DIOTALLENO Episcopo S. Angeli, Nuncio-  
que Apostolico Polon. in Decreto quodam aduersus Monita priuata  
dat. 14. Nouemb. ann. 1615. Cum insigni (inquit) labe rotius Ec-  
clesiastici Ordinis, impio, & sacrilego conatu sit sparsus libel-  
lus famosus contra Societatem IESV, Monita priuata eius-  
dem Societatis falsò inscriptus, &c. Nos & pro singulari no-  
stro affectu erga eundem Religiosum Ordinem de Catholica

Defensa  
contra li-  
bellarium.

Est Ordo de  
Catholica  
Religione  
optimè me-  
ritus.